



50

AENIGMA SACRVM
IESV NASCENTE
PROPOSITVM

ET

IPSO DIE

ADMIRANDAE HVIVS NATIVITATIS.

A.D. XXV. DEC. ANNI M DCC XLIII.

RECVRRENTE

PIIS MEDITATIONIBVS

SUBIECTVM

PRIMO ORDINE SCHOLAE CA-
THEDRALIS

VERBA PRAEVNTA

M. IO. GOTTL. BIDERMANNO

RECTORE.

NVMBVRGI,

STANNO BALTHASAR BOSSOEGELLI, TYP.

Hec agitatio nopus certioris tunc agit.



Ief. IX, 5.

וַיָּקֹרֶא שְׁמוֹ פָּלָא:
I. **A**mphrysiiuates, Amythaoniusque Melampus,
Thestorides Calchas, Eurypilusque sagax,
Fauni, Tiresias, Protheus, Cadmeia Manto,
Dodonae querctis, Chaonides et aues,
Laocoon, Cassandra, Tages, et quisquis haruspex
Tricatur, Nili qua catadupa sonant,
Priamides, fati uenturi prouidus augur,
Oreque Deiphobe uaticinante potens,
Adueniente silent Christo, responsa recusant,
Seque uident artes dedidicisse suas.
Caecutiunt, uelut ad splendentem noctua solem,
Exsortes ueteris fatidique dolii.
Hoc aenigma stupent et Phoebus et Orpheus, et qui
Ingenio praefant Oedipodionio.
Exspirant, quae spirarunt oracula fortis,
Eiaculata uafris abdita uerba modis.
Disfiliunt nodi, quos nec Sphinx callida soluit:
Anfractu et scrupis fauna pagana carent.
Cincinnis creperis salebris caecisque Maeandris
Semoatis, Pythiae fraudis imago patet.
Qui tentaturus Salomonem accessit Hiramus,
Ex oris ueniens, Indica terra, tuis,
Griphorumque ualens nexus, regina Sabaea,
Expertura animum, rex uenerande, tuum,
Auditio, Christum uera deitate potentem
Sumturum humano corpus et offa modo;
Perculsiis animis, uelut ad fatale Medusae
Obiectum subito contremuere caput.
NATVS HOMO DEVS EST. En! hoc aenigma stupendum
Hac adfert nobis caelica turba die.

Euboicae rupes häud spirant talia uerba,
Nec Lyciae fortes tam peregrina sonant.
NATVS HOMO DEVS EST.) O! quam contraria multa
Mirifice coëunt hoc ineunte die.
Qui nunquam ordiri coepit, nec desinit unquam,
Progenuit natum, sed sine matre, Deum.
Nec genitricis eget genitus, nec tempore natus
Est patre posterior, nec pater ipse prior.
Est pater ille siuus, siuus idem filius ille,
Seque creaturam condidit ipse suam.
Vnus ab aeterno est: tempus duo fecit eundem:
Haec unum rursus constituere duo.
Persona geminas naturas sumit in una,
Et Deus humana conditione uenit.
Vnus homo est idem: nec proueniunt duo Christi:
Inque Deo puer est, in pueroque Deus.
Scilicet ex illa cauſa ADMIRABILIS audit,
Cui similem nec habet terra, nec astra parem.
Prodit homo, remanetque parens purissima uirgo;
Admirabilius, quaeſo, quid esse potest?
Porta Maria fuit, quam uidit Heseckiel ille,
Languida dum noctis tempore membra leuat.
Quippe illa omne quidem mansit munita per aeuum,
Cui sterit intactae virginitatis honos;
Et tamen intrauit, penetrauit et ostia portae
O rem mirandam! filius ille Dei.
Attonitis oculis Aaron et mente uidebat,
Arida iam subitis ligna uirere comis,
Protrufisque nouis gemmis, erumpere flores,
Et ramos tumidos fructibus esse nouis.
At mirata stupet potiori iure Maria,
Quum corpus praegnans intumuisse uidet.
Virgo uiret, ceu uirga uiret diuinitus: illi
Virgae numen inest: huic quoque numen inest.
Naturae leges solitas res utraque migrat,
Vtraque mirando percipienda modo.
Non ita perstupuit grandaeuo corpore Sara,
Cum satis annoſo confociata uiro,
Quum grauidum uentrem, multo suffusa pudore,
Sentiret, risum se fore iure, rata.

Non ita perculsus Moses, quum pasceret agnos,
Sensibus emotis et ratione fuit,
Vi tremulae flammea pulla, (res mira relatu)
Igne uidens saluum circumvenire rubum.
Sic lapis austus tuditis sine uerbere monti,
Quem Daniel ualida surgere mole uidet,
Qui totam complebat humum, protensus ad astra,
Qua tenet occasus, qua tenet ortus iter;
Is spectatorem quamvis percelleret omnem:
Non tamen, ut res haec, prodigiosus erat.
Sic inquam, stupefacta magis mens nemini haesit,
Quam quae te, Iesu, pusio parue, uidet:
O aenigma latens, imperscrutabile sanctis
Spiritibus, multis prodigiale modis!
Immortale coit fragili, caeleste caduco:
Filia fit genitrix patris, homoque Deus.
Hic quod erat, manet; et quod non erat, incipit esse;
Ante suae uitam qui genitricis erat.
Portatur manibus, qui maximus omnia portat,
Quique mouet nutu et numine cuncta suo.
Ille, fuos per quem tot habent animalia nidos,
Vix, caput in stabulo quo requiescat, habet.
Cui sol et gemini famulantur cardinis axes,
Humanae socius conditionis adest.
Qui pater est noster, pro nobis nascitur infans,
Nos legit in fratres, nostraque membra subit.
Horrent infantem Briareia turba, ceraстae,
Sphinx, hydra, Centauri semiferumque genus.
Commotusque riger Cocytus inhorruit antris,
Et uinctus tristi murmure Pluto gemit.
Nos uero, DIVINE PVER, tua turba professi,
Efferimus uerbis haec benefacta piis.
Plausibus aligerum laetis imitabimur agmen,
Et linguae nostrae carmina grata ferent.
Teque licet nobis celes aenigmate uerbi,
Hac dum mortali conditione sumus:
Plena luce tamen spectabimus atque fruemur,
Quae iam sunt sola concipienda fide.

* * *

78 M 496

ULB Halle
001 618 148



TA-06
b7



AENIGMA SACRVM
I E S V N A S C E N T E
P R O P O S I T V M

E T

I P S O D I E

A D M I R A N D A E H V I V S N A T I V I T A T I S

A.D. XXV. DEC. ANNI M D C C K L I I I.

R E C V R R E N T E

P I I S M E D I T A T I O N I B V S

S V B I E C T V M

A

P R I M O O R D I N E S C H O L A E C A -
 THEDRALIS

V E R B A P R A E E V N T E

M. IO. GOTTL. BIDERMANNO
 R E C T O R E.**N V M B V R G I ,****S T A N N O B A L T H A S A R . B O S S O E G E L I I , T Y P .**

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

Farbkarte #13**B.I.G.**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

